

canones eosque citatos sub nomine nicaenorum audissent Africani, nec eos in suis codicibus Concilii nicaeni imo nec alibi reperissent (in nulla, aiunt, invenimus Patrum Synodo constitutum), carebant enim canonibus Concilii sardicensis quod et fuisse catholicum Concilium ignorabant, hinc orta est quaestio de ipsis canonibus.

Porro in hac quaestione Africani non negarunt ius insitum ex divina institutione Romanae Sedi recipiendi appellationes sive Episcoporum sive clericorum aut presbyterorum, sed convenientiam et utilitatem negabant exercitii huius iuris quoad presbyteros aliosque inferiores tantum, et quidem pro Africa; et nullam legem agnoscentes quae hoc exercitium praeciperet, negabant se contra ius agere has presbyterorum appellationes non permittendo. Sane quod spectat ad ius Romanae Sedi recipiendi appellationes presbyterorum, Africani non solum prima vice sed et altera postquam rursus appellaverat Apiarius, exceperunt legatos Romanae Sedi qui ut iudices in Concilio sederent. Et postquam ab ipsis legatis damnatus fuit Apiarius, ipsi Africani ad Caelestinum scribentes, petunt quidem (*deprecamur* aiunt) ut ipse nolit recipere appellationes presbyterorum, rationesque afferunt id suadentes, sed nec ius negant, nec de eo aliquid decernunt. Imo cum illud non negent, sed tantum versentur in afferendis rationibus, quibus suadeatur non convenire Africanis exercitium illius iuris, eo ipso significant se de iure ipso Romani Pontificis non dubitare. Ceterum cum ab ipsis Orientalibus probatum fuerit ius Patriarchae excipiendi appellationes, et R.P. esset Patriarcha Occidentis, qua ratione hanc sibi praerogativam poterant vindicare Africani ut eorum sententiae inappellabiles forent? Quaestio ergo tantum erat de utilitate exercitii huius iuris in certis adiunctis.

Quod spectat vero ad ius Romanae Sedi recipiendi appellationem Episcoporum, certum est 1) eas non potuisse reprobari ab Africanis, qui eas admittebant, ut testis est Augustinus epist. CLXII, loquens de appellatione Caeciliani episcopi carthaginensis: « Neque enim de presbyteris aut diaconis aut inferioris ordinis clericis, sed de collegis agebatur, qui possent aliorum collegarum iudicio, praesertim Apostolicarum Ecclesiam, causam suam integre reservare. » Rursus eadem aetate qua fervebat controversia ista de Apiario Africanorum Episcoporum, quos inter Augustinus quoque erat, cum Romana Sede, dedit Augustinus epistolam, quae est CCIX, ad Caelestinum R. P. pro causa Antonii Episcopi Fussalani qui pessime se gesserat in Episcopatu. Porro in hac Epistola Augustinus significat Antonium, qui ab Synodo Africana damnatus fuerat, appellasse Romanam Sedem (nn. 6. 9.): quod Augustinus non solum non improbat, sed deprecatur Caelestinum ut auctoritate sua suaviter utens velit et Antonio

et populo Fussalae consulere. Ibidem Augustinus mentionem facit aliarum tum recentium tum antiquarum appellationum Episcoporum ex Africa Romam (n. 8). Consequens est proinde eos Episcopos Africanos, qui in causa Apiarii quaestionem habebant cum Romana Sede, non negasse ius recipiendi appellationes Episcoporum Romano Pontifici. Certum est autem 2) eosdem non nisi precibus usos esse (*deprecamur*) erga Pontificem, et suasionibus quibus preces suas confirmarent; deprecatos vero id esse ne adeo facile admitteret ad suam audientiam venientes Episcopos ex Africa, nec excommunicatos in Africa ipse in communionem ultra vellet recipere. Quod et canone V. nicaeno suadent. Id quidem, *communione nempe dare confugiendi*, profecto aliud est ac appellationem recipere iudiciumque instituire (v. p. 432.), verum et de appellatione Africanos loqui, ac flagitare ne admittantur, liquet ex sequentibus; scilicet cum aiunt, quaecumque negotia ubi orta sunt finienda esse, et transmarinum iudicium ratum esse non posse propter impossibilitatem mittendi testes, et orant vel suadent ne legatos a latere mittat, quia id nulla synodo inveniunt constitutum. Orant ergo ne Romanus Pontifex vel per se vel per suos legatos iudicet causas eorum qui ad ipsum confugerint, quod est petere ne appellationes recipiat: sed permittat causas finiri per concilium provinciae aut universale Africae, ut iidem aiunt. Quod quidem quia nondum ipsis velitum fuerat, sanxerunt in Synodo quoque anni 419. can. 25. et 34. reservantes tamen ultimum iudicium de hac re Romanae Sedi, ad quam acta synodalia pro confirmatione mittebantur.

Si qua difficultas occurrit in can. 34, in quo asseri videtur Episcopis quoque antea fuisse prohibitum appellare transmarina iudicia, conferantur de hac re FF. Ballerini in Observationibus ad Dissertationem 5<sup>a</sup> Quesnelli, p. 1. c. 6. n. 27.

Itaque quaestio exorta propter appellationem presbyteri Apiarii non erat de iure, sed de opportunitate exercitii iuris, quam propter certa adiuncta non haberi censebant Africani; quos tamen potuisse in hac re decipi, vel longius progredi quam par esset, nemo negabit.

Quoad quaestionem vero Canonum sardicensium, quos ignorabant Africani, advertendum est quod alia est quaestio *an ius sit*: alia, cum exercitium iuris non est necessarium, *an lex sit quae illud exercitium praescribat*; qua quidem existente, merito reprehenditur qui exercitium illud impedire velit; non existente vero, et praesertim si existat opposita consuetudo, a reprehensione ille est immunis. Porro Zosimus producens canonem sardicensem non existentiam iuris, sed legem praecipientem liberum illius exercitium directe probabat, dignosque esse reprehensione Africanos qui illi legi adversabantur.